



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583657-p0001-6

DFG



ASYLUM FIDELIUM

XXVI

Hoc est

# ASSERTIO SOLIDA

Sanguinem JESU CHRISTI Filii Dei, in ara Cru-  
cis profusum esse λύτρον pro universis, generis humani,  
præcipue tamen credentium, peccatis ἵστριποντινον,

Adversariis nostris, imprimis Calvinianis, Photinianis  
& Romanensibus oposita,

EX

Aphorismo nobili Jobannis Epist. I. c. I. v. 7.

Ἄιψα ἵνες Χριστὸς ἡμῶν ἀντὶ κατεργάτης ἡμῶν διπλὸν πάτων αὐτοῖς.

Quam

Auspicio & Præsidio inētis καὶ μεσέτης generis humani  
unici & veri

In Celeberrima Academia Wittebergensi

PRÆSIDE

Dn. FRIDERICO BALDUINO,

D. Professore & Superintendente,

Publicē

Θεοπογνωμών Διδοκέψι subjicit

M. MARTINUS LÜDEMAN.

Die Januarii.


AS (o) SE

WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M DC XXVI.







AUSPICE DEO ET CHRISTO  
D U C E.

I.

**H**ostis non abs re triarios reservare, & arietes omnium validissimos, contra fortiter munitum movere solitus est propugnaculum: Hoc enim destructo, totam in sua novit potestate futuram arcem, juxta tritum: *Subrue fulturam, & patitur structura ruinam.* Sic fortis ille armatus, Luc. ii, 21. Adversarius noster, i. Pet. 5, 8. Inimicus, Matth. 13, 25. veluti triticum nos qui cribrare desiderat, Luc. 22, 21. non contra humanæ rationis *κυριαληματα;* sed fortissima fidei nostræ fundamina, quæ sunt evidenriSSima sacræ scripturæ dicta, in quorum verâ & dextrâ interpretatione cardinem salutis nostræ disceptare non ignorat, virus corruptelarum suarum spirare, perplexisque eadem involvere errorum tricis plicis ab origine usque mundi fuit conatus medullitus.

2. Hujuscemodi inter cum non imas sed meritô primas obtineant partes aphorismi, nostræ qui concernunt salutis negotium, etiam & varios Hæreticorum inferni illorum candidatorum morsus & rosiones experiri & sentire sunt coacti. Unde saluberrimus de *κυριαληματα* Christi Articulus tantis & tam periculosis hodierno tempore exercetur erroribus, ut nil supra.

3. Quippe, cum pro certo sibi consuasum habeat Archihæreticus pater mendacii Diabolus, Joh. 8, 44. i. Reg. 22, 22. omnium nostrorum salutem (quam velut unicum portum expectamus illarum calamitatum, & miseriarum innumerabilium, quibus in hac ultima & exulceratâ mundi senectâ premimur) in cognitione DEI & quem misit JESU CHRISTI consistere, Joh. 17, 3. Matth. 16, 17. omnes ingenii nervos adhibet, nihilq; intentatum relinquit, dum

cognitionem istam depravet, & dictis, quibus ea fundatur, obscuratis & in dubium vocatis, nos incertos & dubios nostra de salute reddat.

4. Hinc subinde alios atque alios in proscenium Ecclesiæ produxit Hæreticos, qui mutatis tantum personis eandem spectatum exhibuerunt comœdiam: Et, vel ex supercilioso Samosateni fastu Christi divinitatem negarunt, & Χριστὸν αὐθεωτὸν eum fuisse, imò nec semper, sed in terris è Maria initum sumpsisse affirmarunt; vel ex temerario philosophiæ abusu naturarum unionem, indequæ promanantem proprietatum communicationem negarunt; vel tandem ex ὀλυμπιαδίᾳ ejus meritum depretiarunt, mortemq; ejus non esse λύτρον pro totius mundi peccatis ιατόποντον exerte dixerunt.

5. Taliscomodi à nata Ecclesia adhuc usque tempus cum exerceatur errorum labyrinthis de persona officiisq; Christi articulus, operæ precium orthodoxiæ propugnatores veræq; persuasionis antistites, queis meliore de reverentia & ardore finxit præcordia Flamen, se facturos arbitrati sunt, si, Hæreticis non ad horam cedentes, Gal. 2, 5 magno, ad exemplum Josaphati, 2. Paral. 17. ut refutatâ explosâq; ἐπεροδοxorū opinione & superstitione, articulo huic de Christo, sua constaret integritas atque facies genuina, zelo & fervore uterentur.

6. Hinc, & me rem orthodoxis utilem, Christo quæ honorem, κανοdoxis molestiam creet, facturum esse ratus sum, paragraphum Johannis in c. i. v. 7. Epistolæ prioris his verbis descriptum, (ἀγαπητοῖς χριστοῖς τῷ ἀνθρώπῳ ναζαρέτῳ ιησοῦ οὐαὶ παραπτήσις) ab Hæreticorum strophis si vel vindicarem, aut genuinis saltem suis coloribus depictum proponerem.

7. Quod cum propriis præstare viribus nequeo, mei quia humeri ingeniiq; vires huic oneri ferendo sunt impares:

*Spiritus alme veni, nostram & sic dirige pennam,*

*Ut Christus verus, sit, maneatq; Deus.*

*Sit quoq; verus homo, Salvator, gnatus Adami*

*Crimina qui mundet nostra cruore suo.*

8. Sed adrem. Duo quasi præcipua complectitur proposicio hæc capita; Subjectum nimirum & Prædicatum. Qui licet sint termini:



termini Logici; attamen propter faciliorem cognitionis viam,  
tutissimamque tractationis methodum iisdem nobis uti visum,  
imprimis ne sine cancellis liberè divagantes id, quod est γόδεν πέπος  
ἴπος, facheremus hujus disputationis ἐργον.

## S U B J E C T U M

9. Itaque, cuius explicationi jam plena pandimus vela, redēptionis nostræ causam efficientem continet, quæ describitur nobis in præsentí paragrapho trifariam; (I.) à Persona, quod sit I. Dei filius, & sic etiam Deus, 2. quod & verus homo, sanguinem dum eam habere affirmatur (II.) ab Officio, quod sit JESUS CHRISTUS, hoc est, noster יֶשׁוּעָה, vel Ἰησοῦς Salvator, Matth. I. 250<sup>ς</sup> unctus, Propheta, Rex & Sacerdos. (III.) à causa instrumentalī seu λύτρω, cuius interventu nos ab omnibus peccatis purgaverit, quod fuit Sanguis.

10. De singulis ordine, dicimus primo, Subjectum continere datæ propositionis terminum medium. Unde, eum si exclusive, exceptivè, reduplicative accipis, talia exsurgunt prædicata: Ex modo primo: Tantum, vel solus Christus purificat nos suo sanguine à peccatis: Ex modo secundo: Nemo præter Christum purificat nos suo sanguine à peccatis. Ex modo tertio: Christus quatenus Christus, id est, quatenus Ιησοῦς Θωρηκτός Deus & homo purificat nos suo sanguine à peccatis. Fac itaque Christum, nudum hominem, & passio ejus tibi nil proderit? Fac eum verum & omnipotentem DEUM, & mori pati que non potuit. Credas ergo oportet, & verum eum fuisse hominem, verum simul & DEUM, ejus meritum, si debet esse ιούδαιον & sufficiens pro peccatis tuis λύτρον.

11. Quæ causæ, cur inscribere theses hasce voluerimus Asylum fidelium? quod die malo, Eph. 6, 13, ubi vadimonium quasi, quia solvendo non sumus, deserentes, variis conscientiarum stimulis compuncti, peccatorumq; pœnis pressi, ad hunc sanguinem tanquam tutissimum Asylum fugere queamus, nulli dubitantes, quin ab omnibus iniquis Diaboli postulationibus constitutisq; pœnistuti, liberi & immunes, sub eo tanquam sub umbra arboris opacæ media in meridie, quando Sol est rapidissimus quam quies-

etissime delitescere valeamus, juxta illud Augustini: *Emittit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur: non cado. Fundatus enim sum supra firmam petram: peccavi peccatum grande: turbatur conscientia, sed non perturbatur, quia vulnerum Christi recordor.* Hæc ille.

12. His ita præmissis accedimus ad *Subjectum seu Causam Efficientem* redēctionis nostræ, quam non *merum* (quamvis verum) hominem, sed & *Deum γνήσιονq; DEI* filium fuisse Autori nostro dictoq; paragrapho credentes, statuimus & profitemur.

13. Quod ne gratis mihi accredere dicaris vir Photiniane trigam syllogismorum validissimam, non ex variis totius Scripturæ locis, sed ex præsenti saltem compactam tibi proponam, quâ divina Christi natura adeò expressè adstruetur, ut nisi omnem reverentiam tuo quam Redemptori debes, exueris, sine apertissima blasphemia ulterius contradicere nequeas. Esto autem syllogismus primus,

14. Cui tribuitur nomen filii *D E I*, ille verè & essentialiter *D E U S* est. Non enim fas est *DEI* filium degenerem suspicari, sed necesse est eum fateri æqualis altitudinis ejusdem & dignitatis: Nam & filios Principum Principes esse, & filios Regum Reges, quis nesciat? ait D. Bernh. serm. i. de Adv. Conf. Epiph. hæres. 69. cont. Ariom. At Christo nomen hoc, non solum in præsenti, verum etiam in infinitis aliis Scripturæ locis, quæ Gerhard. disp. de fil. *DEI* th. 155. ad certas classes reduxit, tribuitur. Quæ dicta ne torqueant (torqueri autem illa à Photinianis novi) & Christo propter officium aut aliam rationem, quam æternam à patre generationem attribui posse, rhetoricentur, nota, quod μονογενὴς unigenitus, Joh. 1, 14. Joh. 3, 16. id. proprie, Rom. 8, 32. primogenitus, Col 1, 15. Heb. 1, 6. æternus, Hebr. 13, 8. dicatur, & quidem per æternam generationem à patre, Psal. 2, 7. Mich. 5, 2. Prov. 8, 22. & seq. Hinc & *DEI* imago est, 2. Cor. 4, 4. Col 1, 2. Splendor gloriæ & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτός, Ebr. 1, 3; usque adeò, ut πᾶν τὸ οὐλήρωμα τῆς θεότητος in eo habitet, Col. 1, 19 & quidem συμπα-  
τικῶς c. 2, 9. tanquam in proprio domicilio. Chem. de duab. nat. in Chr. c. 9. p. III. Ergo & Deus est.

15. Quibus in dictis non naturæ & essentiæ, quam cum Patre & Spiritu sancto per omnia similē habet identitas, ut Photiniani putant

putant labefactatur, sed τρόπῳ ὑπάρχειν (vox est Justini) personæ proprietas explicatur, quâ Patre & Spiritu S. in intima illa Essentiæ unitate distinguitur, nimirum à Patre quod genitus, sive DEI filius dicatur.

16. Secundus: Quicunque talia præstare debet opera, homini mero quæ sunt simpliciter impossibilia, ille purus putus homo esse nequit. Ultra enim suum posse nemo obligatur. Et non nisi Tyrannus impossibilia requirit. Sed Christus noster talia præstare debuit opera, imo & præstitit, quæ mero homini sunt factu impossibilia. Quandoquidem liberare debuit totum genus humanum, quod homini puro puto fuit impossibile, cum nec frater fratrem redimere potest, Psal. 49,7. conf. Matth. 26. c 19. 26. Marc. 10,27. Ergo Christus non fuit purus putus homo, sed θεοῦ υἱός.

17. Regeris: Sed & Christus est frater noster, Psal. 22, 23. Heb. 2,12. Matth. 28, 10. Ergo nec ille liberare nos potuit. R. i. ad majorem ex Chrem. quod verum illud sit νομικῶς & legaliter; non autem Evangelικῶς. Mysterium enim hoc fuit à seculis absconditum, quod Deus patet fecit cum genus humānum legi satisfacere non potuit, & fecit hoc Deus ad articulum justificationis quod attinet transgressionem legis in aliam personam, nimirum in fratrem & servatorem nostrum Christum transferendo, qui & obediendo & patiendo legem pro nobis adimplevit, & quia illa persona & Deus & homo, ideo ejus satisfactio est expiatio pro totius mundi peccatis, i. Joh. 2, 2. & inde Christus est adimpletio Legis ad justitiam omni credenti, Rom. 10,4. Hæc ille. 2. Distinguo inter juris rigorem & ejus θνητας seu æquitatem. Stricto jure nemo pro alterius delictis luere potest: Anima enim quæ peccat, morietur, Ezech. 18. Æquitas autem indulgere potest. 3. disting. inter fratrem merum & verum, sive inter fratrem, qui merus homo, & inter fratrem qui θεοῦ υἱός. Et tandem 4. distinguo inter ordinariū Dei vindicantū hominum peccata judicium, & inter extraordinariū secundum Cdonicū à Deo ipso excogitatum absolvendi homines' meritum Christi vera fide apprehendentes decretum & medium, de illis loquitur major, de his minor: Pro quo medio ipsi sit gloria & laus in sempiterna secula.

18. Tertius: Cui competit nomen eidem & res ipsa. Sed nostro

nostro Redemptori in præsenti loco tale nomen assignatur, quo describitur tale officium, ad quod necessariò requiritur natura di- vina. E. Nam vocatur Jesus, id est, Salvator; Qualis autem? in- dicat hoc Angelus, quando dicit: ipse liberabit populum suum à peccatis ipsius, Matth. 1, 21. Ex quibus nunc sic infero: Qui- cunque liberare debet populum suum ab omnibus peccatis, is non purus putus homo sit oportet: Probo, quia personam infini- tam (Deum) quam peccatis nostris offenderamus, Esa. 59, 2. Placa- re, Diabolum & mortem captivos nos ob peccatum detinentes, Joh. 8, 34. Rom. 6, 16. 2. Pet. 2, 19. convincere, Ebr. 2, 14. & ita caput Serpentis juxta decantatas DEI minas, Gen. 3, 15. conculcare debe- bat, quæ puro & simplici homini non sunt factu possilia. Nunc vero Salvator noster redimere nos debebat ab omnibus peccatis, &c. Ergo fuit Ἰησοῦς οὐαπτικός.

19. Redemptorem autem nostrum D E U M esse & filium DEI unigenitum, per naturam & æternam à D E O Patre generatio- nem contra Osterodum & progeniem illam viperarum in Polo- nia & Transylvania apertissimè (quamvis impie & blasphemie) nobis contradicentes; imò & contra Calvinianorum quorun- dam hypotheses, quibus non obscurè impugnatur hæc Christi per æternam generationem Deitas, asserimus: attamen argumen- ta illorum, quibus polire & velut fucum ac lenocinium circum- ponere errori suo contendunt, ob temporis brevitatem & chartæ angustiam non repeto, sed confictui illa resetyans ad alteram ve- rum *ἰνέτην* *ὑγίη μεσέτην* constituentem, partem essentialē, nimi- rum *humanitatem*, proprio. Quam similiter tribus Syllogismorum propugnaculis inexpugnabilibus, contra stramineas Hæretico- rum quorundam balistas, in Christo dari adstruo, & quidem ex proposito aphorismo.

20. Sit primum: Qui habet sanguinem, habet corpus, vel beluinum vel humanum. Christum habere sanguinem, testis est Johannes in dicto loco omni exceptione major. Ergo habet cor- pus non autem beluinum, itaque humanum. Scio hic exceptiones nonnullorum corpus quidem concedentium, sed non animam ra- tionalem, cuius vice functionem fuisse divinitatem dicunt, quibus funus certè parabimus in collatione. Subjicio ergo secundum:

Si



Si Christus non assumpsit veram humanam naturam, homines non sunt redempti: τὸ μὲν γὰρ ἀπεόστατηπον ἡγεάως θνων. Jam verò nos redemptos esse clamat præsens textus. Ergo. Tertium: Si passioni & morti Christi adscribitur redemptio nostra, sequitur eum fuisse hominem, cum aliás mori patiā; non potuisset. Deus enim est αὐτής οὐκανός: Imò si Christo talia assignantur nomina, quæ naturam humanam necessariō exigunt, sequitur eam esse in Christo, nisi Scripturam mendacii arguere velimus, quod Deus avertat. Sed utrumque in præsente hāc D. Johannis sententiā adseritur. E.

21. Finge igitur quicunque es, cum Mane vel Flacio, carnem tuam non esse assumptam; cum Apollinari, animam tuam non esse assumptam? Et, annon erit creatura omnium miserrima? Quid? καὶ δόκησιν solummodo habuit corpus humanum; aīs. Ergo & καὶ δόκησιν solummodo est passus & mortuus? Unde nec vere, sed saltem putativè eris redemptus? Quidni & objiciatur tibi spe. ētrum salutis, & non vera salus? Tibi, inquam, non mihi, qui alium mediatorem Christum fuisse credo & profiteor, nempe talem:

22. Qui verus Deus & Dei filius ab eterno à patre genitus, & in tempori plenitudine ex Mariā natus, adeoq; homo factus, ut sit nunc Mediator inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati & iræ divinæ, ut justitiae Dei satisficiat, sustineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro nobis, applicet sua merita, & invocantium gemitus & preces exaudiat, Ebr. 9. Joh. 17. 1. Tim. 2.

23. Talem etiam Mediatorem (progredior ad secundum, sc. officium) describit nobis præsens aphorismus, quando eum Iēsum CHRISTUM nuncupat, quorum illud Proprium hoc Cognomen ejus est, utrumque ab officio desumptum. Illo in N. T. tantum, hoc in utroque fuit appellatus. Qui enim in novo T. χριστός, is in V. Ιησούς ejusdem significationis nomine appellatur, Matt. 1, 21, Luc 1, 31. Psal. 2, 2. Luc. 2, II. Iesu, nomine Hebraico Ιησούς Latinē Salvator dictus. Est enim hominibus auctor seu princeps salutis, quippe quos servat à peccatis. χριστός Christus verò Græco nomine, id est, unctus: quia unctus est oleo lætitiae, id est, Spiri-

ritu S. ad fungendum officio Mediatoris inter Deum & homines,  
Matt. 1, 21. Act. 4, 12. Hebr. 2, 10. Psal. 45, 7. Heb. 1, 9.

24. Nam ut olim in veteri T. unctione sacri olei ex certis  
aromatibus confecti, ad officium suum initabantur summi Sa-  
cerdotes & Reges: Ita Christus à Patre oleo lætitiae, id est, Spiritu  
S. unctionus atque sanctificatus est, ad veri atque summi Sacerdotis  
& Regis populi D E I officium ministrandum, Exod. 30, 23. 24. 25.  
Exod. 28, 41. c. 29, 7. 1. Sam. 16, 13. 1. Reg. 1, 39. Heb. 1, 9. Psal. 110, 4.  
Psal. 2, 6. 1. Reg. 19, 16. Quin & Prophetas ad officium suum unctos  
fuisse, inde colligere est, quod **מָשִׁיחַ** uncti dicuntur, Ps. 105,  
15. nimirum ut typus extaret, Christum in Prophetam quoque seu  
Ecclesiæ doctorem unctum iri, Joh. 1, 18.

25. Posteriora illa duo Regis & Prophetæ officia bona cum  
venia jam dimittimus, Sacerdotis saltem, ad cuius prolixiorem  
accuratiorem q; **Ὀπίσκοπον** Auctor noster præit nobis: viam con-  
sideraturi. Utramque autem naturam cum communicatione al-  
terius (loquor cum concilio Chalcedonense) quod uniuscujusque  
proprium est, agere ad producenda hujus officii **δύπτελέσυατη**  
docet Iohannes, quando nos Sanguine filii Dei purificari adstruit:  
Unde suapte sponte fluit, naturas illas *divinam & humanam* arctissimè  
unitas esse, & attributa naturarum istarum unitarum **ἀληθι-**  
**λως** esse communicata; ita, ut **λόγῳ** humana homini divina iδιω-  
**ματη**, communicata sint, ut ita Iesus Christus noster esset Re-  
demptor, Salvator, Pontifex summus, non secundum unam,  
sed utramque naturam, id est, **Γεώθεωπός**: quia actio est suppo-  
sitorum.

26. Verum quid animi nunc putas esse quibusdam Calvi-  
nicolis **ἐνωπομάχοις**, quibus arctissima illa unitio **αὐχωρίσως**,  
**αὐδιαιρέτως** & tamen **αἰσυγχύτης** **ηγή απερπήσως** facta, est sudes in  
oculis & auribus? Qui licet Nestorii **παρογίσασιν**, Cinglianamq;  
**αλλοιώσιν** negent verbis; attamen scriptis alta quod mente ha-  
bent reposum, produnt, dum synecdochen suam, quæ tam similis  
est **αλλοιώσι**, ac lac lacti, defendere conantur? Quos inter chora-  
gum ducunt Beza, Zanchius, Sohnius, quorum omnium dicta & scri-  
pta (pro hoc errore suo) diligenter excepta & collecta deprehen-  
det

det lector in Exeg. Aug. Conf. summi & optimè de Ecclesia me-  
riti Theologi Menzeri. Ego pergo.

27. Λόγος in divinitatis suæ complexum intimissimè af-  
sumpsit, & sibi copulavit humanam naturam. Ergo non sterile  
est hoc conjugium, sed maximè fæcundum & prolem producit  
totam illam *ἰδιομάτων νοιωνίαν*, quæ Theologi in tria dispescunt  
genera; ita, ut vel humana de divina (*in primo*) vel divina de hu-  
mana (*in secundo*) vel denique *λογική συμματη* quædam de persona  
integra (*in tertio idiomatum communicationis genere,*) naturis tamen  
earundemq; proprietatibus reservatis illæsis, prædicantur.

28. Quæ probè dispuncta magnam lucem *causæ Instrumentali* (*tertium membrum*) adferent, quæ est sanguis filii DEI, i. Joh. 1, 7.  
Sanguis Christi preciosus, i. Pet. 1. 19. quem pro nobis profundere  
voluit largissimè, & quidem septem vicibus distinctis; nempe  
1. amputatione præputii patiëntendo, Luc. 2, 21. 2. Θρόμβες αἷματος  
grumos sanguinis sudando, Luc. 22, 44. 3. tergum suum virgarum  
vicibus exponendo, Joh. 19, 1. 4. Caput spineæ coronæ non re-  
trahendo, Joh. 19, 22. 5. Impetuosam purpurae virgarum cicatri-  
cibus impressæ divulsionem sustinendo, Matth. 27, 31. Marc. 15, 20.  
6. Manus atque pedes clavorum perforationi porrigendo. 7. La-  
tusculum suum laneum vibrationi lanceæ ferreæ objiciendo. Jo-  
han. 19, 34.

29. Adeo inquam largissimè, licet unica guttula sufficiens  
precium esse potuisse, profundit, non ob personæ indignitatem,  
sed meriti consummationem, & consilii divini proprietatem.  
Hoc respectu multum sanguinis omnino profundere debuit,  
Heb. 9, 15. Evidem 1. ob satisfactionis certitudinem, 2. pecca-  
torum nostrorum gravitatem & abominationem, 3. Justitiae di-  
vinæ adversus peccata illustrationem, 4. denique propter infal-  
libiles misericordiæ divinæ erga genus humanum declaratio-  
nem. Meisn. Affelm.

30. Hic igitur sanguis est ille, in quo habemus *λογική συμματη*,  
quæ est remissio peccatorum, Eph. 1, 7. Matth. 1, 14. Per quem  
DEUS acquisivit sibi Ecclesiam, Act. 20, 28. per quem sumus re-  
dempti, i. Pet. 1, 19. qui emundat nos ab omni peccato, i. Joh. 1, 7.  
quâ abluimur à nostris peccatis Apoc. 12, 11. Cujus interventu

Christus est noster propitiator, Rom. 3, 14. 25. per quem semel intravit in Sanctum Sanctorum, æternam inveniens redemptionem, Ebr. 9, 12. Hoc in sanguine si lavamus peccata nostra, etiam si sit ut coccinum, veluti nix albescens, & si fuerint rubra velut vermiculus, non secus ac lana alba erunt, Esa. 1, 18. Et, ut verbis compendium faciam, hic est sanguis Novi T. qui pro nobis effunditur in remissionem peccatorum, Matth. 26, 28.

31. Respicit verò Author hac locutionis formulā ad ritum usumque Sacrificiorum veteris T. ad quorum considerationem uberiorem jam singulos, propter summam præsenti negotio quam adfert utilitatem, volo attentos. Ea, quia fuerunt typus & imago Christi veri illius agni & sacrificii, multum etiam eorum consideratio nos juvabit. Fuerunt autem multa, immo varia sacrificiorum genera: respectu autem objecti seu materiæ ad trifidam hanc classem reduci possunt non incommode, ut sint vel frugum, vel vini, vel pecudum: Quorum postremum imprimis ab Authore fuit consideratum, in quo siebat sanguinis effusio. Et erat, vel juge illud sacrificium duorum agnorum anniculorum, qui typi erant agni immaculati CHRISTI JESU, Johan. 1, 29. 1. Pet. 1, 19. Apoc. 13, 8. Qui agnus occisus ab origine mundi dicitur, Apoc. 13, 8 respectu (puta)typorum & figurarum: vel, oblationis hirci & vituli in die propitiationis, Lev. 1. Cujus allegoriam luculenter & eruditè enarrat Epistola ad Heb. c. 9, 11. 12. videlicet, quod Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem semel ingressus sit in sanctum sanctorum, æternâ redemptione repertâ. Et notatu dignum, quod Caper Emissarius facta imprecatione ab Aarone vivus in desertum emitti debuerit, qui typus & umbra fuit Christi, qui tanquam piaculum seu *ναῖτρος*, in quod derivata erant & translata totius generis humani peccata, Esa. 53, 6. Johan. 1, 29. extra urbem Hierosolymam educitur, & secum effert peccata nostra, 2. Cor. 5, 21. Ebr. 13, 12.

32. Et imprimis graphicè exquisiteque adumbravit Christi oblationem, oblationisq; ejus efficaciam, Sacrificium vaccæ rufæ, Num. 19. Cujus typum graviter & nervosè enarrat Spicetus:



ritus sanctus, Heb. 9, 13. dicens: Si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencae aspergens inquinatos sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam vestram ab operibus mortuis, Conf. Psal. 51, 4. 9. 1. Pet. 2. Apoc. 1, 5.

33. Nullum autem ex iis omnibus melius & clarius demonstrat vim energian atque efficiaciam Sanguinis Christi profusi, quam sanguis typicus agni Paschalis, qui omnibus suis ritibus & circumstantiis praefiguravit agnum nostrum Paschalem, qui est Christus, 1. Cor. 5, 7. Et cum primis sanguis illius, quo utrumque postem & superliminaria illinire debebant, ab Angelo percutiente Aegypti primogenita, ut essent tuti, ut ita ab Angelo exterminatore seu morte aeterna liberi essent, quorum corda sanguine agni immaculati Jesu Christi conspergerentur.

34. Horsum Johannes digitum intendit, Sanguinem Christi purificare nos, quando dixit: Καὶ τὸ ἅγνον in hoc & similibus Scripturæ locis intelligendum esse probat Affelmannus Disput. de dicto Actor. 20, 28. ita tamen, ut non improbet Theologorum illorum sententiam, qui hic per Synecdochem partis pro toto, per sanguinem intelligunt omnia ista παράγματα, quæ Christus nostra causâ, in suâ persona in statu Exinanitionis subire, perpeti & exantlare voluit, & quidem αὐτούματα. Quæ παράγματα Theologi ad tria redigere genera; nempe, ut quædam sint contumeliarum, Matth. 12, 24. Joh. 6, 52. cap. 8, 48; quædam misericiarum, Matth. 4, 2. Joh. 4, 6. Matth. 12, 19. Luc. 2, 40. Joh. 11, 35. Luc. 19, 41. Joh. 4, 6. Matth. 8, 24. Quibus subjectus esse voluit non ex naturæ necessitate, sed humanitatù veritate, & ut nobis nostrisque temptationibus σὺν παθεῖν posset, Ebr. 4, 15. quædam denique injuriarum & passionum violentarum, quarum quædam sunt internæ, ut tentatio, tristitia, dolor, angor, Matth. 26, 38. Luc. 22, 44. Psalm. 22, 15; quædam externæ; ut calumniæ, contumelia, flagellatio, condemnatio injusta, crucifixio; Matth. 26 vers. 24. Marc. 14. vers. 43. Luc. 22. vers. 42. Joh. 18 v. 12. Quæ omnia, cum denotent passionem, quæ est totius suppositi,

non ad unam v. g. humanam naturam seorsim consideratam, sed ad utramque, sī (ut verius dicam) totam personam divinā & humānā naturā constantem referimus, parum morantes Adversariorum arietem, nostram hanc assertionem, quo subruere conantur, hoc modo:

35. Deitas est  $\alpha\pi\alpha\theta\eta\varsigma$  non potest pati. Ergo nec Deus. R. Ita luculentissimè scribit Vigilius (qui tamen propterea non reprehenditur) lib. 2, contra Eutychen fol. 92. Deitas clavis fixa est, non transfixa. Et Augustinus Tom. 3, quæst. de Trin. p. 1381. ait, di-vinitas participatione humani affectus, mortem, quam sponte suscepere, sensit: Würtenbergiaci expressè non semel ita: Deitatem filii esse passam; quorum tamen sensus orthodoxus. Neque enim volunt, ait Cl. Affelm. disput. antea citat. Deitatem in sese esse passam, quem Eutychianismum nobiscum damnant, sed in carne; hoc est, ipsum Dei filium verè & realiter in sua carne esse passum. Quia tamen illa phrasis periculosa est, & in Form. Concordiæ non recepta, ab ea abstinere malumus. Placet autē nobis judicium Lutheri circa hanc controversiam; oportet te, inquiens, confiteri Christum seu personam pati, mori. Nunc persona illa est verus Deus. Ergo rectè dicitur Filius Dei patitur, alterata mētē sui parte, humanitate videlicet. Et si usitatē dicimus, Filium Regis esse sauciatum, pede saltē ejus læso, Salomonem sapientem, quia anima ejus erat sapiens; Absolonem pulchrum, quod pulchritudine corporis reliquis anteiret; quid obstat, quo minus dicerem, filiū D̄I esse passum?

26. Unde i. contra Pontificios & Stancarum, Christum esse Mediatorem generis humani, non modo, secundum humanam, sed etiam divinam naturam, probamus. & quidem fundamento ducto ex subjecto hujus propositionis) hac forma: Purificatio hominum à peccatis suis omnibus extra dubium est opus mediatoris. Atqui purificatio à peccatis à Johanne adscribitur sanguini Jesu Christi Filii D̄I. Ergo non sola natura humana, sed Deus incarnatus est noster Mediator. Nec movet nos, Christus hoc modo Mediator ad seipsum quod dicendus foret. Etenim Divinitas in Christo bifariam consideratur, primo *simpliciter*, deinde *respectivē*, quatenus partibus officii determinata est. Non primo igitur, verum



verum modo secundo noster Mediator existit. Unde etiam sibi-  
ipsi mundum reconciliasse legitur, 2. Cor. 5, 18, 19. Breviter: Offen-  
sus est Christus, quatenus absolutè & simpliciter in unitate cum  
Patre & Spiritu sancto Deus; Mediator verò quatenus *Iesu*-  
*Christus*.

37. Secundo, contra *Synecdochen* illam *Calvinianorum*, quâ  
nominato Deus, carnem intelligi statuunt. Vide Bezan in Coll.  
Mompel. Danæum in exam. Chem. p. 24. Herborn. l. 2. Rudi. m.  
p. 100. Neostadienses in Admon. p. 250. Anhaldinos contra Librum  
Concordiæ, qui omnes luculentissimas Scripturæ phrases: Deus  
est passus, filius Deus profudit sanguinem pro nostris peccatis, ita  
interpretantur, *quatenus homo*. Unde frequens illa in Scholis eo-  
rum ad argumenta hæc nostra: *Sanguis filii Deus*: Deus proprio  
sanguine, &c. responsio, *titulotenus, verbaliter, contra quos ego ex*  
*præsenti aphorismo talem necesse demonstrationis funiculum:*  
*Cujus sanguis nos emur dat ab omni peccato, ille pro nobis mor-*  
*tuus est. Sed Christi Iesu (totius personæ) sanguis emundat nos*  
*ab omni peccato. Ergo. Minor licet è textu satis clara; attamen*  
*ad confirmationem ejus ulteriorem & dilucidioriem adduco D.*  
*Apostolum Paulum Act. 20. ita differentem: Deus acquisivit sibi*  
*Ecclesiam proprio sanguine. Unde talem extruso Syllogismum: Cu-*  
*jus proprium patitur, illud ipsum vere & realiter, (non titulotenus*  
*& verbaliter saltem) patitur. Proprium ἀλόγονο patitur. Ergo*  
*ἀλόγονο ipse vere ac realiter passus est. Non autem ἀσωμάτως, sed*  
*ἐνσταρημένῳ, non Φήσις Deitatis, sed τῆς ἐνώσεως ὄμονομία,*  
*non naturæ proprietate, sed personæ identitate. Quid multis?*  
*Dicitur Deus passus non secundum naturam verbi, sed quia proprium illius*  
*corporis, passum quod est. Cyrill.*

38. Tertio, contra *χειρῶν* Photinianorum dicta de Christo &  
ejus merito ad DEUM Patrem referentium è dicendi figurâ, quâ  
dicitur apud Prophetam eum, qui tangit Dei populum ejus pupil-  
lam tangere, fundamentum firmissimum hic nobis suppeditatur.  
Nam licet concedamus in multis Scripturæ locis, qualia sunt  
Zach. 2, 8. 1. Sam 8, 7. Dan. 8, 25. Esa 37, 24. Nah. 1, 9. Matth. 25, 35.  
Act. 9, 4. Col. 1, 24. Apoc. 11, 8. injuriam piis illatam Deum sibi im-  
putare: attamen impræsentiarum *χειρῶν* ista prorsus locum non  
habet.



habet, cum expressissime sanguis filii Dei nominetur. Et nunquid cutem Bartholomæo detractam dicemus cutem Dei propriam, quemadmodum Deus sanguinem profusum suum dicit proprium, Actor. 20. 28? Non puto. Passus itaque est Christus non χεπιῶς, non ῥημανίκως, non Φαινορθίως, non σωειδοχικῶς, non γέτωδῶς, sed ἀστερικῶς. Et tantum de Apostolicæ hujus sententiæ subjecto: Sequitur

## PRÆDICATUM

Quod est ναζαρίζει mundat, purificat nos ab omnibus peccatis. Exponit hoc Christi factum, & in eo, 1. Modum, 2. Obiectum, 3. Adjunctum, peccatum.

### Modus.

39. Modum exprimit vox purificandi, summam quam Salvator noster in emendandis conscientiis nostris ab operibus mortuis, Ebr. 9, 14. adhibuit curam, indicans. Utitur hâc voce Scriptura in describendo Redemptionis nostræ opere etiam alias non semel, ut Eph. 5, 27. Ebr. 9, 14. Mal. 3, 3. &c.

40. Et sanè ἐμΦανώτερον hoc est, Significatur enim nos ab hostibus illis infernalibus (Diabolo, Morte, Inferno) Concreata illa justitia exutos miserandum in modum esse vulneratos, Luc. 10. Unde caput factum languidum, cor infirmum, & à planta pedis usque ad verticem capitis nihil sani in nobis esse relictum, Esa. 1, 5. 6. Unde prostrati in sanguine nostro recubuimus, Ezech. 16, 6. à quo & omnis nostra justitia conspurcata; usque adeo, ut coram oculis Dei fuerit velut pannus menstruatæ, Esa. 64, 6. Quare & Deus nos aversatus, Esa. 59, 2. abominatus tit. 1, 16. Et peccatum quod per lapsum in mundum introductum, totum hominem omnesq; ejus partes instar veneni & lepræ ita pervasit, infecit, corruptit, ut propriis viribus abinde mundari se homo prorsus non potuerit, licet vel centies se indies aqua lustrali lavasset.

41. Proinde Christus, propter nos, Ecclesiam ut sisteret gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed sanctam & inculpatam, Eph. 5, 27. sanguinem suum effundere voluit, ut eo tincti mundemur & purificemur ab omnibus nostris peccatis, Ebr. 9, 14. 1. Joh. 1, 7. Conf. Esa. 1, 17. 18. Psal. 51, 9.

42. Quem-



42. Quemadmodum autem in toto Redemptionis nostræ opere contrariis & rationi semper absurdis (ut quod per mortem vitam, per ignominiam gloriatio, per paupertatem divitias nobis, 2. Corinth. 8, 9. acquirere voluerit) usus est, ita & hic peccatorum labe & tabe nos conspurcatos & coinquinatos, sanguine suo (ratio quod ridet) mundos reddere voluit. Et respicitur hac formula loquendi ad usum & modum lotricum, quæ in linteis preciosis & subtilissimis depurgandis, & ab omnibus maculis abstergendis, nulli labori operæ ac sumptui parcunt, verum diligenter byssum manu versant, lavant; usque dum depurgent ab omni spurcitie. Ita Christus conflans & emundans argentum, purgabit filios Leyi, & colabit eos, quasi aurum & argentum, Malach. 3. vers. 3. Nosque sanguine suo mundabit, ab omni peccati contagio, ut ita depurgati ab operibus mortuis, Ebr. 9. & justitia ejus (è contrario) tanquam veste sponsali induti, Esa. 61. v. 10. coram DEO comparere valeamus; ita ut nostra pulchritudine Rex capiatur, Psal. 45. v. 12.

43. Quæ cum ita disputamus, contra Photinianos, asserimus, CHRISTUM Sanguinem suum pro peccatis fudisse, non 1. in Doctrinam, 2. Exemplum, 3. Communicationem, 4. Occasionem: sed 5. ob Satisfactionem pro peccatis nostris. Illorum opinionem de sanguine & morte CHRISTI vide in Catechismo Racoviensi cap. 8. pag. 254. Ego pro satisfactoria expiatione contra illos talia produco fundamenta: 1. Καὶ ἡ ἀπολογία peccatorum, quam anxie desiderat David, Psal. 51. v. 1. quam qui habet, vitam consequitur indubitatō æternam, Psal. 32. v. 1. Apocal. 7. v. 19. facta est filii DEI sanguine. Ergo non est simplex, sed satisfactoria quædam expiatio & redemptio. Antecedens nititur clara Apostolici textus litera, & confirmatur præterea à Paulo, Actor. 20. v. 28. E. 2. Expiatio peccatorum nostrorum sanguini filii DEI, tanquam λύτρω & αἰτιλύτρω adscribitur. Ergo interventu veri precii & satisfactionis præstitæ purificamur. Antecedens est Matth. 20, vers. 28. Marc. 10. vers. 45. 1. Timoth. 2. vers. 6. 1. Pet. 1. vers. 18.

C

3. Pe-

3. Petrus sanguinem CHRISTI auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo, quatenus precium est, i. Pet. 1, 18. 19. Solent autem aurum & argentum verum esse precium, non figuratè. Quare & sanguis æquè, aut multo etiam magis verum sit precium, necesse est. Et tantum de modo nostræ Redemptionis: Sequitur nunc Objectum.

44. Hoc & Prædicatum Apostolicæ hujus propositionis exponit. Quare enim; Quid filius DEI emundavit? Et respondebit D. Johannes; Nos.

45. Per quam vocem non intelligit Diabolas, quos tandem in gratiam receptum iri deliravit Origenes: nec Angelos, quos per Christum redemptos esse ex Coloss. 1, 10 Eph. 1, 10. ineptè conclusit Brunfelsius: aut in CHRISTO Electos, ut quidam Calviniani somniant imperitè: nec solos Electos: sed omnes omnino homines.

46. Non solos Electos autem hic intelligi tali demonstrationis ariete demonstro: Illos Christi sanguis purificat, ad quos missa, mittitur & in posterum mittetur Johannis Epistola. Sed ad Ecclesiam, ad quam omnibus hominibus patet aditus, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. missa, mittitur & mittetur deinceps hæc Epistola. Ergo non soli Electi hic intelliguntur, præsertim quia cætu vocatorum etiam non electi admixti sunt. De cætu autem collectorum sermonem esse D. Apostolo, inde constat, quia 1. eum adhortatur, ne peccata, quorum remissionem flagitat Sanctus omnis forsitan non admonitus, Psal. 32. v. 6 ad exemplum Pauli, Actor. 22. v. 20. dissimulent sua, ut hypocritæ, sed confiteantur. c. 1. v. 8. 9. 10. 2. Quia c. 2. v. 18. 19. dicit multos ex illis factos Antichristos (*etiam ex nobis dicit,*) & v. 25. eos scribit seduci. c. 3. v. 7. petit ne se patientur seduci. 3. Quia prohibet eos orare pro fratribus mortaliter peccantibus. c. 5. v. 15. & ulti sibi ab idolis caveant, monet versu ultimo. Ergo Ecclesiam non Electionis, sed collectionis intuetur Apostolus.

47. Quæ observatio hunc nobis præstat usum, ut hinc discamus, non posse ex hoc loco demonstrari, sanguinem filii  
DEI.

DEI esse profusum pro Electis tantum, cum Autor ipse spinosæ huic quæstiōni occurrat c. 2, 2. quando dicit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi.*

48. Et tamen sic, præente Piscatore in comment. super loc. Actor. 20. quidam argumentatur: *Filius DEI redemit Ecclesiam. Ergo non totum genus humanum.* R. I. Scriptura nec in illo, nec in aliis locis habet exclusivam tantum. 2. A particulari. Ergo sit conclusio, idque vitiosissimè, cum unius inclusio non sit protinus alterius exclusio. 3. Apostolus eo in loco, utpote *noster* in præsenti Ecclesiam considerat è *vocatione*, seu in quantum visibilis est, habens ministerium visibile. Non omnia autem Ecclesiæ visibilis membra sunt in Electorum numero, ut patet vel ex solis scripturæ parabolis, Matth. 3. v. 12. cap. 13. v. 48. c. 23. v. 33. Tantum ergo abest, ut ex hujusmodi Apostolorum verbis demonstretur, filium DEI pro Electis tantum mortuum, ut potius illis concludatur contrarium. Universale enim includit suum particolare. 4. nota: *Objectum mortis Christi duplex esse, aliud universale & adæquationis, aliud nobilis & perfectionis seu dignitatis:* quando igitur Scriptura Christum pro omnibus mortuum dicit, 2. Cor. 5. v. 14. 15. Heb. 2. v. 9. 1. Joh 2. v. 2. *Objectum mortis ejus exprimitur universale;* cum autem pro Ecclesia & Electis, *objectum nobilis & dignitatis.*

49. Scriptura tamen mentionem faciens meriti Christi, hujuscemodi utitur loquendi genere, quo certus homin'um numerus innui videtur, ut i. Johan 1. v. 7. *Sanguis IESU CHRISTI emundat nos ab omni peccato,* Actor. 20. v. 28. Deus acquisivit sibi Ecclesiam proprio sanguine, i. Timoth. 4. v. 10. Christus est Servator maximè fidelium. Ergo. R. Meritum Christi bifariam consideratur, vel respectu acquisitionis; vel respectu applicationis. Priori considerationis modo, omnes homines sunt redempti, posteriori tantum, qui meritum Christi non contemnunt, sed vera fide amplectuntur.

50. *Sufficienter, aīs, non efficienter,* cum in omnibus fidem efficiat, sed in solis Electis. Et tamen verum illud, quod, quorū

Christus *Salvator* suo *merito*, illorum & sua *efficacia*. Resp.  
doctè, pulchrè, benè: verum non vitio meriti aut verbi, non in  
omnibus organon efficax & salutare existentis, sed *subjecti* san-  
guinem filii *DEI* pedibus conculcantis se indignum judicantis,  
*Acto.* 13. v. 46. & consilium *DEI* aduersus se ad exemplum Pha-  
risæorum, *Luc.* 7. v. 30. contemnentis. Simili res erit clatior:  
Sol spargens jam radios supra horizontem, res omnes illumina-  
nat, oculos autem noctuarum obscurat; non vitio splendoris,  
sed oculorum caligantium. Cyrus edicto, quod publici fecerat  
juris, Judæis indulgebat reversionem in patriam, *Esd.* 1. v. 3 4.  
2. *Paral.* 36. v. 22. ibi, qui in captivitate manere volebant, efficien-  
ter non sunt liberati; nihilominus tamen ipsis liberatio regio  
diplomate fuit impetrata, non tantum sufficienter, verum etiam  
efficienter. Sic Christus omnes redemit intensive, licet non ex-  
tensive: omnes Patri reconciliavit actualiter, quamvis non for-  
maliter, omnibus vitam & salutem moriendo acquisivit, quam-  
vis non omnes fide meritum hoc sibi applicent. Unde culpa  
non est in efficacia ipsius causæ principalis & meriti: sed in ab-  
sentia causæ instrumentalis, fidei.

52. Dicta, thesi nostræ de universali Christi merito, quæ  
fidem faciunt *ἀντλεξει* sunt, *Esa* 53. 6. 1. *Johan.* 2. 2. 2. *Cor.* 5. 15.  
Quibus cum conferri possunt, *Col.* 1. 20. 1. *Tim.* 2. 6. 1. *Tim.* 4. 10.  
*Luc.* 12. v. 20. *Johan.* 12. v. 32. *Rom.* 8. v. 32. *Hebr.* 2. v. 9. Argu-  
menta jam non addam, præter quod & mors *CHRISTI* perti-  
neat ad damnandos & perituros, *Rom.* 14. v. 16. 1. *Corinth.* 8.  
vers. 11. *Hebr.* 6. v. 4 5. 6. *Hebr.* 10. v. 26. 2. *Pet.* 2. 1. *Joh.* 15. v. 1.  
2. *Pet.* 2. v. 9.

*Apjunctum.*

53. Ex quibus nunc dextrè perceptis, ultrò tertium sc. adjun-  
ctum emergit, nimirum, Sanguinem Christi purificasse nos ab o-  
mnibus peccatis.

54. Quot & quam varia sint peccata in omnibus compen-  
diis Theologicis fermè dicitur; Ab omnibus illis Christi san-  
guinem nos liberasse adeo disertè & apertè affirmat hic noster  
paragraphus, ut non nisi, qui vel apertè blasphemare vel men-  
daci arguere velit Scripturam, negare ausus sit. Attamen reperti  
sunt

sunt olim, reperiuntur & hodie (hem nefas) in tam clarâ Evange-  
lii luce, qui contrarium asserere, impiè quamvis & blasphemè,  
non sunt veriti.

55. Olim circa annum Servatoris nostri 1140. negavit hanc  
satisfactionem strenuè M. Petrus Abailardus. Huic ad sensere Arn-  
oldus de Brixia, & Bilbertus Pictaviensis Episcopus, & Serve-  
tus, cui ceu patri, monstroso autem & fanatico satis, acclamavit  
fortiter gens Anabaptistarum reliqua. Quod pluribus retulere  
Menius, Vigandus & alii. Hodie Erronibus quibusdam in Lithuania,   
Polonia, Transsylvania famosis satis ex infaustis Photini cujusdam  
Sirmiensis in Illirico Episcopi cineribus ortis socio reformatore, sor-  
det plane Christus, ejusque satisfactione. Et ultimus hic Diaboli fæ-  
tus (Photianos puto) totus, quomodo depretiet precium à Christo  
pro peccatis nostris solutum, legere est apud eorum Promachos  
Schmalzum in lib. Cath. c. de Chr. Sacerd. p. 227. Et in lib. de di-  
vinit. fil. Edit. Racov. anno 1608. typis Sebastiani Sternacii de-  
dicato Sigismundo III. Poloniæ Regi serenissimo. Faustum Soc-  
num Senensem Italum in libel. de Christo Servatore anno 1594.  
edito Christophorum Osterodum Goslariensem in Inst. Germ. cap. 36.  
p. 310. 311. Georgium Eniedinum in expos. dictor. script. Iohannem Som-  
merum in tract. de Justif. & reliquos omnes, quorum blasphemias,  
quas hic non manu, sed toto serunt thylaco, quando legi

Obstupui, steteruntq; comæ, & vox fauibus habuit.

Nec tamen sollicitus fui his ut funus pararem, illas cum legisse &  
detexisse, fatente Menzero, sit refutasse.

55. Calviniani hic etiam, nisi in scriptis suis σΦάλμα typ-  
ographicum agnoscant, vel stylum tempestivè vertant, insigniter  
blasphemi, in sanctissimum & perfectissimum hoc Christi meri-  
tum erunt. Etenim non solum, non pro peccato in Spiritum S.  
eo quod id committentes sint reprobi; nec pro totius mundi,  
sive omnium hominum, quales in hunc mundum nascuntur, sa-  
tisfecisse, scribunt CHRISTUM, Zanch. p. 235. & in miscel. l. 2.  
p. 23. Col. Moimpelg. p. 503. & Piscator: Sed & meritum Christi  
in obedientiam activam & passivam (quamvis in se considerata,  
unica tantum sit) discerpunt, & illâ pro se tanquam creaturam

DEI & ex familia Davidis oriundam, legi DEI obedientiam praestitisse; hanc vero pro nobis DEO Patri satisfecisse Christum adseverant. Cujus sententiæ (*verius blasphemia*) caput & authorem se proficitur *Piscator* in Epist. ad Rom. c. 4. in obs. p. 84. & seq. Edit. Herb. Anno 1601. &c. & alibi.


56. Turpiter tandem hic & se dare Romanæ Sedis Promachos, & veri Antichristi ubera qui sugunt, dum Christum tantum pro peccato originali solvisse λύτρον afferunt, quis non videt? Nam licet Jesuitæ ab illis qui hoc defendunt, discessum fecisse videri velint, & subtilius statuere, quod pro culpa quidem omni, etiam & pœnâ æternâ Christus satisfecerit, non autem pro temporali, quæ sit à nobis redimenda per alia bona opera sive satisfactionem, contra expressissima Prophetæ Esaiæ c. 53. vers. 5. verba: attamen è verbis Valentini libr. 2. Miscel. cap. 12. scribentis, CHRISTUM semel tantum se obtulisse in cruce pro peccato originali, quia non sæpius ab eodem homine admittatur, & semel abolitum, nunquam redeat; sæpius autem se offerre, nimirum non tantum in cruce, sed etiam quotidie in altari, pro peccatis actualibus, quia sæpius ab eodem committatur, refutari possunt.

57. Quibus nunc ægre ut sim, ex nostri Apostoli aphorismo arietem unicum opponam, & finiam: Sanguis Christi quos purificat ab omnibus peccatis, illi non indigent propria purificatione & ulteriori liberatione, sed vere liberi sunt, Joh. 8, 36. Ecclesia Papicolarum propriis meritis à peccatis actualibus se purificare, & à pœna temporali propriis satisfactionibus liberare conatur. Ergo non est vera Ecclesia. Proinde dicit tibi qui habet septem Spiritus DEI, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas & mortua es. Esto vigilans & pœnitentiam age. Quod si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quam horâ veniam ad te. Huiç sit Ὑπαγεία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ χαρισματικὴ διάθεση καὶ ἡ διάθεση τῶν οἰκτίων ἀμήν.

Apoc. 7, 12.

F I N I S.






*Ad Praestantissimum Dn. Respondentem.*

קָבֵר אֶת־אָמִן תְּרֵא אַשׁוֹן  
לְכָרְמוֹת וְצָלָם אֶל־עַלְיוֹן:  
הַפְּרֵר וְהַ רַּע לְפִגְגֵּ נְחַשׁ  
לְכַיְּנָה לְאַשָּׁה הַתְּכַחַשׁ:  
וְשִׁיאָה וְתַאֲפֵּלָה  
מֵעוֹ זָה אֶל־פּוֹק הַגְּבָהָה:  
עַל־פִּנְךָ אַרְרֵר וְהַ לְאָמִן  
עַמְּ אַשְׁתוֹ טַעַן הַשְּׁלִיכָם:  
בְּנֵי עַלְיוֹן עַשְׂה אֲחִינָה  
דְּמוֹ מִפְּנֵות פְּרָנָה:  
מַזְרָנָה מְזוֹת תּוֹרָת־יִהְ  
דוֹרְיוֹ יְבָרֵךְ יְהָ מַעֲשָׂךְ:

*Amicitiae ergo*

*adjecit*

M. Petrus Richter/  
Caloviâ-Lusatus.



94 A 578



f

sb.

107

10  
Okt 1999






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583657-p0028-6

DFG

**Farbkarte #13**



B.I.G.

**ASYLUM FIDELIUM**

*Hoc est*

**ASSERTIO SOLIDA**

Sanguinem JESU CHRISTI Filii Dei, in ara Cru-

cis profusum esse λύτρον pro universis, generis humani,  
principiū tamen credentium, peccatis ἵστημαν,

Adversariis nostris, imprimis Calvinianis, Photinianis  
& Romanensibus oposita,

EX

Aphorismo nobili Jobannis Epist. I. c. I. v. 7.

Ἄλιμα ἵνες χειρίς τε ίυς αὐτες κατέπιξι ήμας διπό πάντος αμαρτίας.

Quam

Auspicio & Præsidio inētis καὶ μεστες generis humani  
unici & veri

In Celeberrima Academia Wittebergensi

*PRÆSIDE*

**Dn. FRIDERICO BALDUINO,**  
**D. Professore & Superintendente,**

*Publicē*

Θεοφραστῶν Διδοκέψι subjicit

**M. MARTINUS LÜDEMAN.**

*Die Januarii.*

AS (o) SS

**WITTEBERGÆ,**  
**Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,**

*ANNO M DC XXVI.*

